

Hinc foecunda boni genitrix Academiã tantum
 Non hominum generi commoda plura parit,
 Ingenium quando multorum dogmate sacro
 Excolit, hinc templis cedat ut utilitas:
 Sed quoq; qui Leges qui discant Ciuica Iura,
 Informat uigili pro ratione sua,
 Ut sint iustitiæ tandem firmare theatrum
 Qui possint, cordi sit quibus alma Themis.
 Nec desunt doceant qui rite Machaonis artes
 Subsidio quarum corpora sana vigent,
 Aut cum læsa jacent, monstrant medicamina tuta
 Ut ualeant rursus, non reuente DEO,
 Sunt hic præterea uirtutum dogmate mentes,
 Qui uitij raptos ad meliora trahunt.
 Sunt hic naturam rerum scrutantur ab ortu
 Qui primo, causas illius atq; docent,
 Sunt hic de numeris sua qui compendia tradunt
 Et per quos cœli noscere signa licet.
 Historiæ nec non studium Phæbæa Poësis
 Hic est ingenij & satis apta bonis.
 Talia proponunt ergo quia culta Lycea
 Doctrinæ merito dixeris Oceanum,
 Quin & Thesaurum reputes nimium preciosum:
 Cui similem sapiens esse sub orbe negat.
 Conditiõ uitæ præsens quo constat, & illo
 Vix aliqua tandem parte carere potest.
 Iam quis erit possit qui cunctos enumerare
 Aut proprijs illos dicere nominibus,
 Qui lapsa studijs his seculo rite politi
 Profuerint celebres quot quibus atq; locis,
 Ex hoc Marchiaco dimissi quando Lyceo
 Functi sunt passim rectius officijs,